



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomæ

Suárez, Francisco

Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621

Cap. 1. Tres personas esse vnus, & eiusdem essentiaë, ac naturaë.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

INDEX CAPITVM LIBRI QVARTI DE TRINITATE.

- C**ap. 1. Tres personas esse vnus, & eiusdem essentia, ac natura.
 Cap. 2. Personas esse idem realiter in vna Deitate.
 Cap. 3. Occurritur fundamento contrarij erroris, sumpto ex principio illo, Quae sunt eadem vni tertio, &c.
 Cap. 4. De distinctione personarum ab essentia.
 Cap. 5. An relationes sint de essentia Deitatis.
 Cap. 6. In quo nonnulla dubia expediuntur, & satis fit fundamentis oppositis.
 Cap. 7. An Diuinitas sit de conceptu relationum.
 Cap. 8. Argumentis contrariae sententiae, & quibusdam dubijs satis fit.
 Cap. 9. De vnitae personarum in omnibus attributis.
 Cap. 10. Quomodo sit Omnipotentia in omnibus personis.
 Cap. 11. De vnitae personarum in substantia absoluta.
 Cap. 12. Tres diuinas personas vere, ac proprie esse, dicique vnum Deum, propter essentiae vnitatem.
 Cap. 13. De varijs modis attribuendi personis vnitatem Dei.
 Cap. 14. Pro quo supponat hic Deus, cum de tribus personis dicitur.
 Cap. 15. De equalitate, & similitudine personarum.
 Cap. 16. De trium personarum circuminsessione.

LIBER QVARTVS DE VERA VNITATE, ET IDENTITATE TRIVM PERSONARVM, ET OMNIBVS, QVAE AD ILLAM PERTINENT.

VM in superioribus ostensum fit, singulas personas esse verum DEVM, conitat habere inter se aliquam vnitatem. Hic ergo explicandum superest, quanam, & quanta sit, & in qua re, seu in quibus attributis, posita sit, & quia aequalitas, & similitudo ad vnitatem spectant, de illis etiam dicemus, ac tandem quibus vocibus apte explicetur haec vnitatis, adnotabimus.

CAPVT I.

Tres personas esse vnus, & eiusdem essentiae, ac naturae.

Nonnulli ex haereticis dixerunt in Trinitate esse plures Deitates, atque ita in re asserebant esse plures Deos. Ita refert de Peratis Theodoretus libro primo haereticarum fabularum capite 19. & de Ioanne Grammatico refert Nicephorus libro 18. Hist. capite 4. 6. & 48. Anselmus etiam libro de Incarnatione Verbi capite 1. indicat, hunc errorem suo tempore in Gallia pullulasse. Denique

Athanasius in Dialogo 3. de Trinitate refert, quosdam Arianos concessisse, Patrem & Filium esse distinctos Deos. Veruntamen illi aequiuoce, vel cum analogia utebantur nomine Dei, solumque Patrem concedebant esse supremum Deum. Nos autem supponimus, verum Deum esse tantum vnum, quo nihil est frequentius in Scriptura, & omnibus Concilijs, & Patribus. Imo, & ratione naturali est euident. Et probatur in principio primae partis, & in Metaphysica, & ideo de hoc fundamento quantum ad rem spectat, nihil hic amplius dicendum est.

Ex illo vero deducitur primo, In Patre, Filio, & Spiritu sancto esse vnam numero Deitatem. Quae res etiam de fide est: & sub eisdem fere verbis habetur in 6. Synod. Actio. 11. Et in eodem sensu definitur in capite *Damnatus*, de summa Trinitate, & fide Catholica, Patrem communicare Filio totam substantiam suam, id est, eandem naturam, & diuinitatem, vt ibidem exponitur, & probatur ex illo Ioan. 10. *Quod dedit mihi Pater, maius omnibus est.* Ioan. 10. Et ibidem ait Christus, *Ego, & Pater vnum sumus.* Vnde Damasus Papa in expositione fidei ad Paulinum, *Siquis (ait) non confiteatur Patris, Filij, & Spiritus sancti vnam diuinitatem, potestatem, & maiestatem, anathema sit.* Ratio

Ratio vero est, quia in diuinis multiplicatur persona: si ergo multiplicarentur Deitates, multiplicarentur etiam Dii, quod est contra primum fidei fundamentum positum. Sequela patet, quia ad multiplicationem substantiæ, nihil amplius requiri potest, quam multiplicatio personarum, & naturarum: id eo enim Petrus, Paulus, & Franciscus sunt tres homines, quia sunt tres personæ, & habent distinctas humanitates.

3. *Afferio 2.*
 Secundo, ex dictis concluditur, tres personas Trinitatis esse vnius essentiæ, & naturæ. Ita docet Diuus Thomas prima parte quæstione vigesima nona articulo secundo, & habetur illa formalis locutio in sexto Synodo Actio. 4. & 11. Vbi tres personæ dicuntur vnius substantiæ, & operationis. Sic etiam Concilia Toletana 6. & 11. *Confitemur* (aiunt) *Trinitatem vnius essentiæ, virtutis, maiestatis, ac naturæ.* Ita etiam loquitur Augustinus 3. contra Maximinum capit. 14. Dicit vero aliquis. (vt rationem locutionis explicemus.) Vna diuinitas dicitur esse trium personarum: ergo è contrario tres personæ non recte dicuntur vnius diuinitatis. Respondet Diuus Thomas dicto articulo 2. ad 4. naturam, vel essentiæ in abstracto significari, vt formam, & ideo dici posse esse in persona, vel personis, quia forma est in illo, quod formaliter constituit: è contrario vero (ait) personas non dici absolute esse naturæ, sed adiecta proprietate aliqua, per quam significatur, personas conuenire ratione talis naturæ: Sicut dicimus Petrum, & Paulum esse naturæ rationalis, non vero naturæ sine alio addito. Et sic etiam personæ diuinæ non dicuntur essentiæ, sed eiusdem essentiæ, vel vnius naturæ per quod nihil aliud explicatur, quam personas illas conuenire in eadem numero natura: & ita constat ratio illius locutionis. Addit vero ibidem Diuus Thomas ad 5. non ita posse dici tres personas esse ex eadem essentiæ, quia particula ex indicat habitudinem efficientis, & ita innuit distinctionem potius, quam unitatem. De quo ex professo tractabitur infra lib. 7.

4. Vltimo obseruare oportet, hæc omnia intelligenda esse de vnitate vera, & reali, & vt more nostro loquamur, individuali illius naturæ, nam hanc requirit vnitas Dei. Ad hanc ergo fidem vno verbo comprehendendam, & vt hæretici cogentur sine tergiversatione illam confiteri, Patres Concilij Nicæni amplexi sunt vocem illam hominon, qua tam Arius, quam Sabellius damnantur, quia per illam, & vnitas substantiæ, & distinctio personarum indicatur. Vt declarauit Epiphanius in Anchorato, & Hilarius libro de Synodis. Ambrosius libro tertio de fide capit. 7. Et ideo Marianus Victor libris contra Arianos, & specialiter opus de hac voce dicit, *illam fuisse inuentam diuinitus.* Et eandem magna veneratione recipiunt alij Patres, August. epist. 174. & 178. & Basilius in epistola quadam ad Arcillas Dei: Fulgentius contra Arianos ad septimam obiectionem. Eandem recipit Isidorus libro 7. Etymolog. capit. 2. Ac denique tota Ecclesia Latina loco illius vocis posuit in symbolo vocem *consubstantialis*, quæ eandem habet vim. Contra illam autem vocem obieciabant Ariani, quod in Scriptura non inueniretur. Respondent autem iidem Patres: Primum, partim hoc referre, cum res ipsa in scriptura inueniatur, & vox sit utilis, & accommodata ad illam declarandam veritatem. Deinde Ambrosius, & alij eam ex scriptura elicere conantur, præsertim ex illis verbis Christi, *Ego & Pater vnum sumus.*

5. Obieciabant præterea hæretici, vocis nouitatem, sed sine vilo fundamento, quia ad noua mysteria explicanda, necessariae sunt nouæ voces. Eo vel maxime, quod illa hæresis noua erat: & ideo specialis urgebat necessitas, nouum nomen imponendo, quo illa confutaretur, & veritas fidei breuius, & clarius explicaretur. Quod in alijs etiam

mysterijs accidisse videmus: sicut enim nomen *Transsubstantiationis*, & similia inuenta sunt. Addit Athanasius in libro de decretis Nicænæ Synodi, & in libro de Synodis Arimini, & Seleucia congregatis, & in epistola de sententia Dionysij Alexandrini illam vocem non fuisse inuentam à Concilio Nicæno, sed prius fuisse vsurpatam à dicto Dionysio Alexandrino in Apologia ad Dionysium Romanum, & receptam ab eodem Dionysio Papa in rescripto ad alterum Dionysium, & ab alijs antiquis, quos ibi refert. Imo Theodoretus libro 1. hist. capite 12. & 13. ait, Eusebium Cæsariensem (alioqui Arianum) eam vocem probasse. Denique Ambrosius dicto libro 3. de fide capite 7. dicit, prius Arianos tanquam inconueniens intulisse, sequi ex doctrina fidei personas esse hominon, quod tunc Concilium Nicænum concessit, & illam vocem arripuit ad confundendos eosdem hæreticos. Quam etiam vocem, (vt hoc obiter dicam,) Constantinus Imperator recepit, & approbavit, vt aperte refert Marianus Victor, qui tempore Constantij vixit. Vnde immerito aliqui contrariam notam Constantino inurunt.

CAPVT II.

Tres personas diuinas esse idem realiter in vna Deitate.

TRACTANDA est hoc loco sententia Gilberti Porretani, qui sensit, relationes diuinæ, seu proprietates personales distingui realiter à diuina natura, & consequenter etiam personas. Quamuis diuerso modo, nam relationes ponebat condistinctas ab essentiæ, id est, nec includentes essentiæ, nec in illa inclusas à parte rei: personas autem (si consequenter loquutus est) non potuit hoc modo distinguere: sed vt includentes essentiæ, & addentes rem aliam distinctam ab essentiæ, quia omnis persona intrinsece constat ex natura, & personalitate. Dubitant vero aliqui, an posuerit propriam distinctionem realem, quam vocamus rei à re, aut tantum modalem, seu formalem. Ego vero non dubito, quin realem posuerit. Nam Diuus Bernardus sermone 80. in Cantica, & libro 5. de consideratione impugnat Gilbertum, vt ponentem quaternitatem in Deo. Et in actis Concilij Rhemenfis, quæ referuntur, Gilbertus dicitur asseruisse, tres proprietates, quibus personæ distinguuntur, esse tres res æternas, & ab inuicem, & ab essentiæ numero distinctas.

Atque hinc scholastici tribunt Gilberto, quod posuerit relationes, non intra essentiæ, sed quasi affixas, & asistentes ipsi. Ita Diuus Thomas 1. parte quæstione 28. articulo 3. & 39. articulo 6. & Alensis 1. parte quæstione sexagesimo octaua, membr. 5. articulo 6. §. 3. & Bonauent. in 1. distinctione 23. quæstione 2. & ibi alij Scholastici, & Henric. quod lib. 5. quæstione 7. quos sequitur Præteolus verbo *Gilbertus*. Nihilominus non desuerunt moderni, qui ausi fuerint dicere: hos authores hoc imposuisse Gilberto, quia in historijs non ita refertur. Sed id mihi non est verisimile, tum quia error ille non multo tempore præcessit ante omnes dictos authores, tum etiam, quia per se est satis consequens ad ea, quæ retulimus, vt statim explicabimus. Fundamentum huius erroris erat, quia alias essentiæ generaret, & esset per se primo incarnata: quia si sunt idem persona, & essentiæ, quidquid prædicatur de vna prædicatur de altera. Vnde videtur, motum fuisse Gilbertum ex illo principio. *Quæcumque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.* In quo principio tota forma syllogistica fundata est: ex illo autem sequitur, quod quando aliqua in re sunt idem, quidquid vni attribuitur, potest